

1085, març, 17

Bofill, prevere, fa donació a Sant Daniel d'una casa situada a Girona, sota la canònica de la seu.

ASD núm. 13, perg. orig., 105 x 495 mm.

In nomine Domini, ego Bonusfilius presbiter, per hanc donationis mee scripturam dono Sancto Saluatori atque Sancto Danieli, cuius cenobium situm est prope muros ciuitatis Gerunde ipsas meas mansiones ad integrum cum uniuerso superposito et solo et condirecto et cum ingressibus et egressibus et omnia que ibi habeo et teneo et uniuersis ad se pertinentibus ad proprium, cum consensus et licentia Mahellis comitisse, in cuius alodio site sunt, que mihi adueniunt per comparationem et per hedificatibnem et per alias plurimas uoces et auctoritates, que sunt iuxta muros Gerundensis urbis, subtus ipsius sedis canonicam, que habent affrontationem ab oriente in terra et in trilia et in domibus Sancte Marie sedis, demeridie in era comitali et in platea ciuitatis, ab accidente in calle qui pergit ubique, a parte circii in terra et in domibus Sancte Marie et in calle que pergit ubique. Omnes domos et omnem hedificationem cum omnibus ad se pertinentibus quas intra iamdictos terminos et affrontationes habeo et teneo et omne directum et omnes uoces, cum exitibus et regressibus suis, dono ego prescriptus Bonusfilius presbiter per hanc donationis mee scripturam Sancto Saluatori atque Sancto Danieli prescripto ad proprium, cum consensu et licentia prefate comitisse et magnatum atque baiulorum infrascriptorum, et per presentem scripturam de meo iure in prefati cenobii abbatisse ceterarumque ibi Deo famulantium dominium et potestatem trado ad quodcumque uoluerint faciendum. Quod si ego donator aut ullus alius utriusque sexus uel ordinis contra hanc donationis scripturam uenero uel uenerit, non ualeam uel ualeant perficere quod ceperit uel cepero, sed componam aut componat prefati cenobii habitatoribus iamdicta omnia in triplo cum omni sua melioratione, et deinde firma maneat hec donationis scriptura.

Que est acta .XVI. kalendas aprilis armo .xxv. regni Philippi regis.

+Bonusfilius presbiter* qui hanc scripturam donationis fieri iussi, firmaui et firmari rogauit. Sig+num Mahellis comitisse, cum cuius consensu et licentia hec facta sunt, que et per hanc scripturam donationis donat Sancto Saluatori atque Sancto Danieli prescripto quicquid in prefatis domibus et ad se pertinentibus comitalis potestas habebat, scilicet denarios .IIII. et cetera, et in potestate iamdicte abbatisse tradit ad proprium alodium et francum eorundem sanctorum. Maheltis comitissa*. Guillelmus, vicarius*. Sig+num Bemardi Guillelmi. Sig+num Deusdedit Bemardi. +Deusdedit*. Sig+num Berengarii, Barchinonensium atque Gerundensium comitis. Sig+nU:m Petri Barchinone. Sig+num Oliuarii.

(s. *man.*) Iohannes leuita, qui hanc donationis scripturam

rogatus scripsi cum litteris superpositis, die annoque prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 83-84